



SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>

joannescarolusrossi@fastwebnet.it

luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

**Ordo rerum
in annos MMXIV et MMXV
a sodalibus latinis
in Venerandis Aedibus Ambrosianis
agendarum**

Ante diem XII Kalendas Decembres

- Vergilii *Eclogam primam* praelegimus.
- Disputamus de adagio *Vulpes haud corrumpitur muneribus*.

Sodales his locis adhibitis exercentur juxta artis rhetoricae praecepta: per synonymiam, paraphrasim, ampliationem, compendium, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.

P. Vergilii Maronis
B u c o l i c a

ARGUMENTVM¹

Bucolicum carmen idem est ac pastorale, deducto nomine a pastoribus, quorum sunt praecipui qui curant boves, sive bubulci, Graece βουκόλοι, a βοῦς, bos. Quo in genere Vergilius Theocritum, Syracusanum poetam, imitandum sibi proposuit. Carmina ejusmodi sua vocavit Theocritus Idyllia, Vergilius Eclogas. Est autem ἐκλογή Ecloga, delectus paucorum aliquot opusculorum et pluribus, quae fecerit auctor, nec luce digna judicari; vel delectus quorundam versuum quos e Theocrito per imitationem expresserit: est enim ἐκλέγειν Eligere, secernere. Male autem scribitur a quibusdam Aecloga, quasi ab ἄιχ Capra et λόγος Sermo, tum quia non ἐκλογή sed ἄιχολογία dicenda esset, tum quia minima pars ejus operis ad capras pertinet; ad oves cantus amores, multo maxima; tum denique quia nomen eclogae aliis operibus tribuitur bene multis, in quibus pastorium nihil, immo nihil omnino praeter Delectum significat. Tales habemus hodie Polybii, Diodori, Strabonis eclogas, sive excerpta e majori opere; odas Horatii vocat Sidonius Apollinaris varii carminis Eclogas; ejusdem Horatii satyrae quibusdam in codicibus Eclogae inscribuntur. Coepta sunt Bucolica anno Vergilii XXIX exeunte, U.C. DCCXIII², et triennio perfecta.

P. Vergilii Maronis
E c l o g a I

ARGUMENTVM³

Caesar Octavianus quum agrum Cremonensem et Mantuanum veteranis militibus in praemium attribuisset, Vergilius Mantuanus inter ceteros agello suo spoliatus est; sed Maecenati commendatus per Asinium Pollionem, qui tum in illa regione cum aliquot legionibus versabatur, et per Maecenatem in Octaviani gratiam inductus, quod amiserat recuperavit. Hac igitur Ecloga laudes Octaviani et Romae, suam felicitatem, Mantuanorum calamitatem commemorat. Tytirus Vergilium repraesentat, Moelibeus Mantuanos. Scripta est anno Vergilii XXIX, Urbis conditae DCCXIII⁴, consulibus P. Servilio et Lucio Antonio, Marci fratre; quo anno facta est celebris agrorum divisio, ex qua bellum Perusinum statim erupit, veteribus agrorum dominis confugientibus ad Lucium et cum eo adversus Triumvros⁵ conspirantibus. Accidit autem agraria illa divisio post victoriam Philippensem Octaviani et M. Antonii, de Bruto et Cassio, Julii Caesaris percussoribus, anno proxime praecedente relatam; non vero post victoriam Actiacam Octaviani de M. Antonio, ut male in Pomponii et Probi commentariis legitur. Cedit enim haec in annum Vergilii XXXIX; at Bucolica ante annum ejus XXXII absoluta sunt, quippe anno XXIX incepta et triennio perfecta.

-
- 1 Cfr. P. Vergilii Maronis *Opera*, juxta editionem Parisiensem. Interpretatione et notis illustravit Carolus Ruaeus, Soc. Jesu, ad usum Serenissimi Delphini. Londini MDCCXII
 - 2 Anno 35° a. Chr. n. scilicet; recentiores putant inter annos 42^{um} et 39^{um} compositas esse eclogas.
 - 3 *Ibid.*
 - 4 Vide superius.
 - 5 Triumviri Rei Publicae Consituendae Consulari Potestate creati sunt Octavianus et Antonius et Lepidus anno 43° a. Chr. n. ex lege Titia. Pactio autem inter triumvros jam privatim icta est Bononiae anno 44° in caesaricidas.

Tytirus⁶

*Meliboeus*⁷

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui Musam meditaris avena;
nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
Nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5

Tityrus

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10

Meliboeus

Non equidem invideo, miror magis; undique totis
usque adeo turbatur agris. En ipse capellas
protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, a, silice in nuda conixa reliquit. 15
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
Sed tamen iste deus qui sit da, Tityre, nobis.

Tityrus

Urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
stultus ego huic nostrae similem, cui saepe solemus 20
pastores ovium teneros depellere fetus:
sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes
quantum lenta solent inter viburna cupressi. 25

Meliboeus

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Tityrus

Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat,
respexit tamen et longo post tempore venit,
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. 30
Namque - fatebor enim - dum me Galatea tenebat,
nec spes libertatis erat nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima saeptis
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat. 35

6 Aptum argumento nomen. Est enim Tityrus, Hesichio, *satyrus*, *calamus*, *avis quaedam*. Servio, *aries maior*; interpreti Theocriti, *otiosus*.

7 Boum curator, ὅτε μέλει ἀντὶ τῶν βόων, quia cura est ipsi de bobus.

Meliboeus

Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares,
cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

Tityrus

Quid facerem? Neque servitio me exire licebat 40
nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
bis senos cui nostra dies altaria fumant,
hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
“pascite ut ante boves, pueri, submitte tauros”. 45

Meliboeus

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt
et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis temptabunt pabula fetas 50
nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
et fontis sacros frigus captabis opacum;
hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti 55
saepe levi somnum suadebit inire susurro;
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

Tityrus

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi 60
et freta destituent nudos in litore pisces,
ante pererratis amborum finibus exsul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labatur pectore vultus.

Meliboeus

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen 65
et penitus toto divisos orbe Britannos.
En umquam patrios longo post tempore finis
pauperis et tuguri congestum caespite culmen,
post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit, 70
barbarus has segetes: en quo discordia civis
produxit miseros; his nos consevimus agros!
Inserere nunc, Meliboee, puros, pone ordine vites.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro 75
dumosa pendere procul de rupe videbo;
carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
floretem cytisum et salices carpetis amaras.

Tityrus

Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
castaneae molles et pressi copia lactis,
et iam summa procul villarum culmina fumant
maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

80

Caroli Ruaei paraphrasis

MEL: Tityre, tu iacens sub umbraculo fagi opacae modularis cantilenam pastorem cum parva fistula: nos deserimus terminos patriae, et agros amoenos; nos eximus e patria: tu, Tityre, otiosus sub umbra doces arbores referre nomen pulchrae Amaryllidis.

TIT: O Meliboee, Deus nobis dedit hanc quietem, Nam habeo semper illum Dei loco: saepe tener agnus electus ex ovili nostro tinget illius aram sanguine. Ille permisit vaccas meas vagari, ut vides, et me ipsum canere fistula rustica quicquid vellem.

MEL: Ego quidem non invideo, immo admiror, cum tantus sit tumultus toto rure. Ecce ego moerens abigo prae me capellas, et hanc, o Tityre, difficile traho. Modo enim enixa geminos foetus, qui erant spes gregis, proh dolor! deservit eos rigido in saxo, inter spissas corylos. Memini quercus afflata fulmine saepe praenunciasset nobis hanc calamitatem, nisi animus imprudens fuisset: saepe cornix funesta admonuit ex ilice putri. Attamen dic nobis, Tityre, quinam sit ille Deus.

TIT: Ego demens, o Meliboee, exstimavi urbem, quae vocatur Roma, similem esse nostrae Mantuanae, ad quam nos pastores consuevimus deducere agnos tenellos. Quemadmodum sciebam catulos canibus, et haedos capellis esse similes, quemadmodum solebam comparare magna parvis. Sed urbs illa tantum eminet inter caeteras, quantum cupressi solent eminere inter viburna flexilia.

MEL: Et quae tanta necessitas te coegit Romam petere?

TIT: Libertas, quae licet tarda, tamen aspexit me desidem, cum iam cana barba decideret secanti: tamen aspexit, et venit post multos annos servitutis: ex quo secutus sum Amaryllida, et reliqui Galateam. Scilicet, quamdiu amavi Galateam, fatebor enim, nec speravi libertatem, nec curavi patrimonium: licet educerem ex ovilibus meis multas victimas et coagularem opimos caseos ad usum ingratae urbis, numquam referebam domum manus plenas pecunia.

MEL: Mirabar cur tristis invocares Deos, o Amarylli, cui servares poma pendentia suis quaeque arboribus: Tityrus hinc aberat: ipsae pinus, ipsi fontes, hae ipsae arbores te repetebant.

TIT: Quid fecissem? nec poteram aliter abire e servitute: nec Deos experiri tam propitios in alio loco, quam Romae. Illic vidi iuvenem illum, o Meliboee, propter quem arae nostrae fumant singulis annis per duodecim dies. Illic ipse prior ita respondit roganti mihi: Pueri, pascite boves, ut prius: et subligate tauros iugo.

MEL: O felix senex! itaque agri tui relinquentur tibi, iique tibi satis ampli; licet nuda saxa te-

gant caeteros undique, et palus operiat pascua caenosa iunco: insolita pabula non vitiabunt gravidas pecudes, neque noxia contagies vicini gregis inficiet eas. O felix senex! hic prope amnes cognitos, et fontes dicatos Nymphis frueris umbrâ frigidâ. Ex alia parte sepes limitis propinqui in qua flos salicum carpitur semper a Siculis apibus, saepe tenui murmure apum te invitabit, ut somno indulgeas. Ex alia parte putator frondium excelso in colle cantabit ad auras. Neque tamen interim raucae palumbes, quae sunt tuae deliciae, neque turtur desinet queri ex ulmo sublimi.

TIT: Prius igitur agiles cervi pascent in aere, et maria deserent in litore pisces defectos aqua, prius extorris Parthia potabit Ararim, aut Germania Tigrim, regionibus mutuo permutatis, quam forma illius iuvenis excidat mihi ex animo.

MEL: Nos vero hinc pulsi partim ibimus in Africam aridam, partim petemus Scythiam, aut celerem Oaxem Cretae, aut Britannos omnino separatos a caeteris populis. Numquamne post diuturnum tempus, post aliquot annos, revisam cum admiratione patriam regionem, et tectum casae pauperis exstructum e gleba, quae tota erat mea possessio? Sceleratus miles possidebit haec arva tam culta? Peregrinus has messes? Ecce quo calamitatis dissensio adegit cives infortunatos: ecce propter quos seminavimus arva. Nunc, o Meliboe, insere piros, digere vineas in ordinem. Ite, ite, meae capellae, grex olim fortunate! Non ego deinde stratus viridi in spelunca aspiciam vos procul spinosa e rupe pendere; cantilenam nullam modulabor: non tondebitis, o capellae, cytisum florentem et salices amaras, me custode.

TIT: Tamen poteris hac nocte quiescere hic mecum super foliis virentibus: habemus matura poma, castaneas molles, et multum coacti lactis: et iam summa pagorum tecta procul fumant, et umbrae grandiores porriguntur ex altis montibus.